



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 2. Solvuntur opposita,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

do sit, debet includere Deum possessum, ut constar à n. 15. & 32. Etenim si est beatitudo naturalis, includit Deum naturaliter possessum, per scientiam nimirum, & amorem naturales; si autem sit beatitudo supernaturalis, includit Deum possessum per amorem, & intuitionem supernaturales; ergo &c. Fit 2. Possessionem intentionalem Dei, habitam sive per scientiam naturalem, sive per intuitionem supernaturalem, vocari Dei visionem, prout hæc præscindit ab intuitiva, & ænigmatica: atque adeo seclusa visione Dei, nullam esse possibilem creaturæ beatitudinem. Ratio est, quia in Scripturis scientia illa abstractiva, & intuitiva Dei vocantur visio Dei; ista quidem facialis: illa verò ænigmatica. Sic Paulus 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmatate: tunc autem facie ad faciem.* Quapropter visio facialis dicitur propria possessio filiorum DEI: visio verò ænigmatica vocatur possessio propria servatum, ut infra constabit, & diximus à n. 60.

114. Fit 3. Cognitionem ænigmaticam, quam viatores habent de Deo, non necessitare ad amorem Dei, eo quod non proponat ex parte objecti puram bonitatem absque exclusione omnis malitiæ; proponit enim difficultatem, & arduitatem, quam debemus pati, ut Deum obtineamus, ratione cujus voluntas potest se retrahere ab amore Dei. Cognitione verò ænigmatica, quæ rationalem creaturam in centro suæ naturalis beatitudinis constitueret, repræsentaret Deum, ut jam possessum, semperque possidendum, quin ullam arduitatem, aut ullum malum repræsentaret incurrendum, ut ad possessionem summæ illius bonitatis accederet. Cum autem summa bonitas absque ulla mixtura malitiæ ex parte objecti à cognitione tacti repræsentata necessitet ad amorem, ut patet in actibus primò primis. Exinde creatura rationalis in suo naturali centro constituta, maneret necessitata ad DEI amorem. Si enim quævis res, licet inanimata, ut ignis, lapis, & sic de aliis, in centro suo quiescunt, neque molestiam, aut malum ullum experiuntur, quomodo rationalis natura in centro suo constituta non ita quiesceret? Inter cognitiones enim ænigmaticas dantur speciei diversæ, vel ratione nobilitatis, ut patet in actu fidei, quo Deum ænigmaticè cognoscimus, ut docet Paulus num. superiori. Et tamen distinguitur specie ab aliis actibus ænigmaticis; vel ratione diversæ tendentiæ, cum alter sit iudicium indifferens, ut patet in actu constitutivo nostræ libertatis; alter absq; in differentia, ut patet in cognitione prævia ad actus primò primos; qui ex hoc titulo excusantur à Theologis à peccato formalis. Cæterum de his latè à num. 173. Ubi agemus, de appetitu elicitivo;



## SECTIO II.

## Solvuntur opposita.

Objic. 1. D. Thomas 1. Part. quæst. 12. art. 1. ait: *Cum enim ultima hominis beatitudo in altissima eius operatione consistat, quæ est operatio intellectus; si nunquam essentiam Dei videre potest intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinere poterit, vel in alio eius beatitudo consistet, quam in Deo: quod est alienum à fide, & ratione; in ipso enim est ultima perfectio rationalis creature, quod est principium essendi: in tantum enim unumquodque perfectius est, in quantum suum principium attingit.* Ergo ex D. Thoma non est possibilis alia hominis beatitudo, nisi supernaturalis. Confirm. 1. Ex eodem D. Thom. lib. 3. contra gentes c. 1. dicente: *Institutum esse homini naturale desiderium videndi primam omnium causam.* Ac proinde creaturam rationalem quousque Deum videat, prout est in se, necessario manere semper inquietam. Unde etiam probat visionem Dei esse possibilem, ne alibiqui dicatur inane esse desiderium naturæ. Quod etiam habet 1. Part. quæst. 12. art. 1. dicens: *Inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectus; ergo &c.*

Conf. 2. Ex eodem D. Thoma 1. 2. q. 3. 114. Ubi per varios articulos probat, beatitudinem hominis nisi imperfectam, & aliqualem, non posse consistere in scientiis speculativis, aut in cognitione substantiarum separatarum, scilicet angelorum; & exinde concludit ad perfectam beatitudinem requiri, quod intellectus pertingat ad ipsam essentiam primæ causæ, & sic perfectionem suam habeat per unionem ad Deum, sicut ad objectum, in quo solo beatitudo hominis consistit; ergo ex D. Thoma nulla alia est possibilis beatitudo hominis, nisi supernaturalis, & intuitiva. Resp. conc. ant. & neg. conf. Quasi intellectus creatus nunquam Deum videre posset, non posset habere defacto visionem intuitivam, neque de possibili in pura natura habere posset visionem ænigmaticam; hoc enim est contra rationem, ut probavimus à n. 105. Illud autem est contra fidem, quæ docemur, beatos facie ad faciem videre Deum, ut constat ex n. 113. Unde negare, quod creatura rationalis possit Deum videre, & est in uno sensu contra rationem, & in altero sensu contra fidem. Sed quid inde contra nos.

Ad primam confirmationem dist. ant. cognoscendi causam, quando cognoscit effectum modo proportionato exigentiæ causæ, conc. modo indebito, & in proportionato, neg. ant. & conf. Etenim rationale desiderium creaturæ; de quo loquimur, non potest se extendere ad cognoscendam causam modo sibi impossibili, aut profusus indebito: sed modo sibi debito, & possibili, ac proinde in pura natura omnino quiesceret, dummodo cognosceret DEUM modo sufficienti ad puræ naturæ felicitatem. In statu autem

autem elevationis non ita quiescit quoad appetitum elicatum; cum tendere debeat ad obtinendum Deum, ipsumque per cognitionem facialem cognoscendum, ne illius omnimodam possessionem amittat. Unde licet ista cognitio non requiratur ad explendum innatum appetitum naturæ, requiritur ad compensandum terminum appetitus innati, juxta dicta à num. 63. Ad 2. Confr. dist. ant. ad perfectam Beatitudinem in sua linea requiritur, quod intellectus pertingat ad ipsam essentiam primæ causæ, per cognitionem correspondentem illi lineæ, conc. per cognitionem superexcedentem, neg. ant. & conseq.

118. Objic. 2. Beatitudo consistit in possessione summi Boni: atqui per cognitionem naturalem, ut potè abstractivam, & ænigmaticam, per quam Deus non repræsentatur nobis ut præsens, quod requiritur ad possessionem, sed ut absens, non possidemus summum bonum; ergo in tali cognitione nequit stare beatitudo; atque adeo naturalis beatitudo repugnat. Confr. 1. Si hæc cognitio sufficeret, non quidem Deus, sed Dei imago esset beatitudo nostra; sed hoc absurdum est, contraq; omnes Theologos, & contra D. Thomam citatum num. 115. ergo &c.

119. Confr. 2. Perfectior cognitio, quam homo naturaliter haberet, esset de substantiis separatis immediatè, & quidditative cognitio per species earum proprias, juxta innatum creaturæ appetitum à Deo inditas: ergo in illis substantiis, & non in Deo staret beatitudo hominis rationalis: Quod planè est absurdum. Confr. 3. ex D. Thoma contra gentes c. 48. dicentè: *Operatio intellectualis speciem suam, & nobilitatè habet secundum illud, quod est primò & per se intellectum, & ab illo mensuratur.* Ergo objectum immediatum illius cognitionis abstractivæ, quod quidem esset creatura, esset objectiva nostra beatitudo.

120. Resp. dist. maj. In possessione propria Filii, vel propria servi, conc. in possessione propria indispensabiliter Filii, neg. maj. & dist. min. neg. consequentiam. Ratio est, quia objectum attractum à cognitione, licet non sit physicè, aut facialiter præsens, semper est intentionaliter, aut ænigmaticè præsens intelligenti; atque adeo Deus attractus ab intellectu creato semper est saltem ænigmaticè præsens intentionaliter creaturæ illum intelligenti; adest autem hoc magnum discrimen, quòd si Deus facialiter cognoscatur, est præsens, & possessus præsentia, & possessione Filii debita, ut ex Scriptura dixi num. 60. Propter quem nobilissimum conceptum usus obtinuit, ut præsentia ista antonomasticè nomine intentionalis præsentia à Theologis accipiatur. Exinde quando Deus solum ænigmaticè cognoscitur, & est præsens, non est præsens, & possessus præsentia, & possessione Filii debita; sed præsentia, & possessione propria servorum. Unde quamvis in pura natura non possit homo possidere Deum possessione propria Filii, possideret illum possessione propria servi.

121. Ad 1. Confr. dist. maj. Dei imago esset beatitudo nostra formalis, & ut quòd, conc. objectiva, & ut quòd, neg. maj. & dist. min. con-

sequentiam. In hoc enim nec minima absurdi umbra relucet: etenim in beatitudine supernaturali idem contingit; visio enim Dei intuitiva; quæ est formalis beatitudo, & ut quòd, non est Deus, sed imago Dei; Deus autem est beatitudo nostra objectiva, & ut quòd. Ad 2. Confr. dist. ant. Perfectior cognitio esset de substantiis separatis ad adharendum ultimò ipsis, nego, ad adharendum ultimò Deo mediis ipsis cognito, conc. ant. & neg. consequentiam, Ratio est, quia quando per species alienas tendimus ad cognoscendum aliquòd objectum, finis, cui adhæremus, & in quo ultimò sistimus, non est objectum immediatè repræsentatum per illas species, sed objectum illud, ad quod ultimò repræsentandum, & cognoscendum, assumuntur ab intellectu tales species.

122. Exemplum præ manibus est. Etenim quando quis desiderat cognoscere Cæsarem per species desumptas à Cæsaris imagine, non sistit ultimò in cognitione imaginis, sed in cognitione Cæsaris, quod per se est evidens: in re autem nostra multò evidentiùs; nam beatitudo formalis, & naturalis solum potest sistere in objecto potente excludere à rationali natura omnem miseriam per exclusionem suæ lineæ proportionatam; Tale autem objectum non essent substantiæ ullæ creaturæ, aut separata; sed solus Deus. Ad 3. Confr. conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia illa operatio intellectualis non respiceret pro objecto ultimò creaturam, sed potius Deum; ac proinde beatitudo naturalis objectiva non esset creatura, sed Deus. Licet enim Deus, qui esset finis illius cognitionis, non esset objectum primum in executione, esset tamen primum objectum in intentione, à quo desumitur ratio beatitudinis objectivæ. Quin imò D. Thomas malè ab adversariis intelligitur de objecto immediato, quando loquitur de primo intellectu; longè eadem alia est mens Angelici Præceptoris in ejusmodi locutione, ut latè ex num. 365. de Deo constat.

123. Objic. 3. D. Thomas 1. 2. q. 3. art. 8. ad probandum sine visione intuitiva Dei non dari veram beatitudinem, inquit: *Homo non est perfecte, ac verè beatus, quando restat sibi aliquòd desiderandum, & querendum.* Atqui si intellectus humanus cognoscens essentiam alicujus effectus creati, non haberet de Deo nisi cognitionem abstractivam, & ænigmaticam, prorumpere in desiderium cognitionis intuitivæ Dei; ergo &c. Confr. 1. Juxta D. Thomam 3. contra gentes c. 50. Quod est imperfectum in aliqua specie, desiderat consequi perfectionem illius speciei: sic qui habet opinionem, desiderat scientiam: qui novit substantiam inferiorem, desiderat agnoscere superiorem: qui cognoscit finitum pendere ab infinito, non quiescit cum ignorantia infiniti; ergo intellectus cum scientia abstractiva Dei, quam cum amore ab illa pendente assignamus pro beatitudine naturali, non quiesceret. Atque adeo nulla exit beatitudo naturalis.

124. **Confr. 2.** Quò major esset illa scientia, quam pro naturali beatitudine assignamus, tantò vicinior Deo constitueretur creatura, quin Deum centrum suum adhuc possideret: sed quò res vicinior est centro nondum possessio, magis inquieta est, magisque inclinat in ipsum: sic ut docent Philosophi, & experientia demonstrat, motus naturalis corporis in fine intenditur: sic etiam, qui per cognitionem abstractivam ex aliorum relatione cognoscit alicubi esse res supra modum pulcherrimas, nimirum spectacula, viridaria &c. tantò intensius desiderat ea videre, quæ magis pulchra abstractivè cognoscit; ergo quò magis per illam scientiam pura natura Deum cognosceret, tantò magis esset inquieta, desiderans Deum intuitivè videre, juxta illud Augustini 1. Conf. c. 1. *Fecisti nos Domine ad te: & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* **Confr. 3.** Si puræ naturæ possibilis esset beatitudo naturalis, constitueretur sibi nimis sufficiens, & gratiæ æstimatione deprimeretur; ergo talis naturalis beatitudo repugnat.

125. **Resp. dist. maj.** Quando restat sibi aliquod desiderandum, & quærendum intra terminum sui appetitûs innati, vel intra nobiliorem ipsius compensationem à Deo factam, conc. supra talem terminum appetitûs, aut nobilitatem compensationis, neg. maj. & dist. min. Prorumperet, si terminus naturalis appetitûs non esset à Deo compensatus per intuitionem Dei, & mediâ ad illam, neg. si compensatus esset, subdist. Prorumperet per appetitum innatum, neg. per rationalem, & elicatum, conc. min. & neg. consequentiam. Ratio est, quia natura per appetitum innatum, solum potest respicere terminum sibi debitum: Per appetitum autem rationabilem, & elicatum non debet semper tendere ad omne bonum, quod aliis ipsi bonum esset; aliter deberet tendere ad identitatem suppositi divini. Unde quando terminus appetitûs innati, compensatus est per terminum nobiliorem indebitum, non tendit rationabilis appetitûs elicatus ad omnem terminum nobiliorem, ut eo obtento quiescat: sed ad quemcumque ad illam compensationem sufficientem. Exinde quia ad compensationem non requiritur major, aut minor intuitio, sed sufficiens est quæcumque, dummodo sit intuitio Dei, qui exiguam in cælo habet, non est inquietus, desiderans intensiorem, & nobiliorem: sic humanitas puræ creaturæ carens nobiliori accessu ad Deum per unionem hypostaticam, cujus est capax, & sistens in propria subsistentia, quin subsistat in Deo, non est inquieta. Pariter pura natura sistens in possessione Dei sibi proportionata, nequaquam esset inquieta.

126. **Ad 1.** **Confr. dist. ant.** desiderat consequi perfectionem illius speciei, quâ non obtenta erit imperfectus, vel infelix in sua linea, conc. quâ non obtenta, adhuc erit felix in sua linea, neg. ant. & consequentiam. Aliter homo cum subsistentia limitata esset infelix, & inquietus, desi-

deraretque, ut esset beatus, & quietus habere subsistentiam divinam illimitatam; quod est contra rationem, & fidem. **Ad 2.** **Confr. dist. maj.** Quin possideret possessione sibi debita, & consentanea, neg. possessione sibi indebita, & superexcedenti, conc. maj. & dist. min. nego consequentiam, ut constat ex num. 121. Etenim ut ait Cyrillus in Joan. cap. 8. *Alia naturæ ratio: alia adoptionis.* Et Augustinus 3. contra Max. *Ideo homo fit gratiæ filius; quia non est natura.*

**Ad 3.** **Confr. neg. ant.** Nam quomodo erit sibi nimis sufficiens natura ex suis viribus impotens ad maxima, & pretiosa dona, quorum alioquin est capax? Aliter constituenda foret sibi nimis sufficiens ex jure ad propriam subsistentiam. Quin imò natura pura non esset sufficiens ad obtinendam statim naturalem beatitudinem; eamque si lethaler peccaret, ira amitteret, ut si Deus peccatum non condonaret, in æternam miseriam incurreret. Unde rationali creaturæ, ut mereri posset, vel demereri, si Deus de potentia absoluta illam annihilare nollet, deberetur status viæ peccatum non condonaret, in Serm. 14. de verbis Apostoli c. 6. dicentis. *Non potest Deus addicere creaturam rationalem æternæ miseriae absque culpa.* Ut enim Sap. 11. de Deo dicitur: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti, & ut ait Apostolus ad Rom. 11. Sine penitentia enim sunt dona, & vocatio Dei.* Qua propter non tolluntur, & frustrantur absque recipientis culpa: atque aded donum Dei in pura natura, quo homo appeteret naturalem beatitudinem, de potentia saltem Dei ordinaria non frustraretur absque hominis culpa. Exinde Deus se accommodans exigentiæ rationalis creaturæ, constitueret omnibus terminum viæ, in qua pro libito suo posset mereri, aut demereri naturalem beatitudinem; sive ante illius affectionem homo experturus foret naturaliter mortem, cum naturaliter mortalis sit, ut aliqui docent; sive mortem in pura natura nunquam foret experturus, ut illi judicant. Et licet præmia in actu secundo penderent à munificentia, & promissione divina, haberent nihilominus merita hominis condignitatem ad hæc præmia in actu 1. ut constat num. seq.

**Objic. 4.** Homo in statu puræ naturæ conditus essentialiter esset servus Dei, ejusque opera, quibus præstaret obsequia Deo, essent Deo debita, sicut opera servi sunt debita domino; atqui servus, quâ servus, per opera sua nullum præmium meretur; neque tenetur dominus ea opera præmiare; ergo homini in statu puræ naturæ condito ratione suorum operum nullum præmium deberet Deus: ac proinde non posset naturalem beatitudinem obtinere: neque possibilis esset ulla naturalis beatitudo puræ naturæ. **Resp. conc. maj. & dist. min.** Nullum præmium meretur, quod illud extrahat à statu servitutis, aut elevet ad statum filii, conc. quod relinquat illud in statu servitutis, neg. min. & consequentiam. Ratio est, quia servus, ut ser-

vus, per opera sua, quibus bene se gerit erga dominum, meretur alimenta, & reliqua necessaria ad vitam aeternam. Unde cum homo in statu purae naturae constitutus, respiceret Deum, ut datorem vitae aeternae, non minus, quam in humanis servus respiciat dominum, ut temporales vitae curatorem. Exinde per opera sua mereri posset praemium, quo in vita sua bene in aeternum se haberet. Quin imò quamvis illa merita absque promissione Dei non possent Deum essentialiter obligare ad conferendum praemium in actu secundo, sicuti neque posset obligare Deum, ne de potentia absoluta hominem annihilaret, aramen in actu primo condigna sunt, & posita divina promissione de conferendo praemio ipsis condigno, teneretur Deus ex fidelitate ea in actu secundo praemiare beatitudine naturali. Caeterum de his dicemus latius in Tract. de Incarnatione. Ex dictis.

129. Fit 1. Quoad constitutum beatitudinis naturalis discurrendum esse eodem prorsus modo, ac de beatitudine supernaturali, servata u-

niuscujusque lineae proportionem. Unde sicut beatitudo supernaturalis, qua anima Deum intimè possidet, non solum consistit in actu intellectus, sed etiam in actu voluntatis, ut contra Thomistas, & Scotistas dicemus à num. 193. Ita etiam beatitudo naturalis neque constitueretur per solum actum intellectus, neque per solum actum voluntatis, sed per utrumque. Ratio autem est, quia beatitudo satiat naturae rationalis appetitum, quo expleto omnino quiescit: sed naturae rationalis appetitus non solum dicit potentiam intellectivam, sed etiam volitivam; ergo possessio, quae natura rationalis obtinet beatitudinem, non stat in solo actu intellectus, neque in solo actu voluntatis, sed in utroque. Fit 2. Beatitudinem alteram esse objectivam, & alteram formalem. Objectiva est Deus possessus: Formalis actus voluntatis, & intellectus, qui sunt possessio, seu quasi unio intentionalis objectivae beatitudinis cum beato, de quibus infra latè dicemus.

## DISPUTATIO IV.

### DE NATURA EXALTATA AD FINEM, ET BEATITUDINEM SUPERNATURALEM.

130. Duplex fuit apud antiquos error circa possibilitatem visionis beatificae supernaturalis. Primus eam ex solis naturae viribus possibilem adstruebat: Ita Anomæi, quos inter praecipuus fuit Eunomius. Quem errorem deinde secuti sunt Beguardi, & Beguini, quos damnavit Clemens V. in Conc. Vien. ut in Clem. ad Nicenum de Harmon. Secundus contra illam ex viribus etiam gratiae, & Dei elevatione impossibilem esse affirmabat. Contra hunc errorem Sanct. Greg. Papa lib. 12. in Job. c. 14. exponens gloriam animarum S. S. ait: *Quae intuitu omnipotentis Dei claritatem vident.* Idem error attribuitur Armenis, qui etiam dicebant hominem beatificari in quadam claritate, & fulgore Dei, quin ad intuitivam ejus visionem possent pervenire. Eundem errorem secutus est Abailardus, ut colligitur ex D. Bern. Ep. 190. Caeterum haec omnia damnata sunt in Concilio Laterani. sub Innocentio III. ut autem veritas potius elucescat.

#### SECTIO I.

##### Quomodo rationalis natura Dei Intuitionem possit obtinere?

131. Asero 1. Nulla est possibilis rationalis creatura, cui connaturalis sit visio intuitiva Dei. Prob. 1. Visio intuitiva Dei ex Doctrina Scripturae, Conciliorum, & P. P. est entitativè supernaturalis, & propria possessio filiorum Dei. Contradistincta à possessione puri servi non adoptati in filium, ut constat à num. 58. Atqui bona supernaturalia, quibus creatura serva Dei

possidet haereditatem domini, possessione propria filii, nequit esse connaturalis conditioni naturali, servi ut servi; ergo &c. Confir. ex Cyrill. Alex. lib. in Joann. Evang. dicente: *Creatura autem cum serva sit, nunc solum, & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.* Quae de causa sententiam contrariam, quam de aliqua creatura possibili alicui Recentiores cum Ripalda defendunt, Valquez ineptam vocat, Nazarius temerariam; Bagnis insignem ignorantiam. Ego autem à censuris abstineo; illamque omnino falsam censeo.

Confir. haec ratio fundamentalis. Praedicata, 132a quae visioni beatificae in scriptura attribuntur, non possunt esse connaturalia naturali conditioni servi, ut servi; sed quaecumque possibilis creatura rationalis essentialiter est serva Dei; ergo &c. Min. & consequentia tenent. Maj. Probat. Ad visionem supernaturalem beatificam solum admittuntur ex doctrina Scripturae filii Dei sive adoptivi; ut purae creaturae, sive filii proprii, ut Christus Dominus; ut constat ex Paulo ad Rom. 8. *Si filii & haeredes: haeredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Insuper ratione dilectionis perfectae, & purissimae charitatis, quae animae beatæ Deum diligunt, vocantur Apocal. 2. *Sponsa Dei*; & ut habetur Apoc. 3. *Sedent in Throno Dei.* Atque in eadem mensa recumbunt, ut habetur Luc. 22. Sed ista praedicata non possunt esse connaturalia naturali conditioni servi ut servi; ergo &c. Confir. 2. Filius, cui debetur haereditas paternae, vel est filius per naturam, quod valde alienum est à pura creatura respectu Dei; vel est Filius per